

Brabantiae pars secunda,

cujus caput

B R V X E L L Æ.



Vice-comi-
tatus titu-
lum habet.

Nomen.

Vamquam Bruxella, ut quidam volunt, Vice-comitatus non sit, gaudet tamen vetusto quodam vice-comitatus titulo, juribus & prerogativis nonnullis ornato. non aliter quam Antverpia, Ganda, Ipra, & alia quaedam loca. Vnde qui Vice-comes Bruxellanus, nihil in eam obtinet juris, quam titulum illum & prerogativas quasdam, similes iis, quibus gaudet Antverpia Burggravius. Inter quatuor primarias Brabantiae urbes secunda est, ipsam Antverpiam praecedens. Nomen habet a quadam arce, quam Senones, Angliae populi, Galliae infestandae causa in has oras profecti, olim exstruxere. Est autem urbs mirabili prorsus situ, partim in plano, partim in edito posita, adeoque dignissima etiam maximo Principe sedes. Nam planities quidem, felicissimo ab utraque parte territorio circumdata, per amenissima prata, cum supra tum infra urbem diffusa, pulchro sane adpectu, ad aliquot leucas porrigitur; ita quidem, ut numquam hic laboratum sit vel pabuli, vel annonae, in usum Aulae, penuria, cum aliquando tamen contigerit, ut septem hic uno eodemque tempore conspicerentur capita coronata; scilicet Carolus Quintus Imperator; filius ejus Philippus Rex: Rex Bohemiae Maximilianus una cum uxore Regina, Helionora Regina Franciae; Regina Hungariae, Gubernatrix; & ex Africa, Rex Belesiae: ut omittam Ducem Sabaudiae, Ducissam, venia verbo sit, Lotharingiae, ac tot alios Duces, Marchiones, & variarum nationum Principes; qui minimum octo vel novem mille secum habebant equos. Iam ab alia parte silva Sogniacensis est, leuca tantum quadrante disjuncta, ventione simul & lignatione Regali insignis, tum Abbatibus undique ac monasteriis cincta, & innumeris passim, iisque pulcherrimis fontibus, & magna fructiferarum arborum copia nobilis, quae omnia inter se juncta & caelum efficiunt saluberrimum, & aquas longe dulcissimas. Interfluit urbem fluviolus Sinna. Praeter quem, fruitur illa maximo quodam & navigabili alveo, argentibus nuper impensis, & incredibili fere labore atque industria, inde ab ipsa urbe, usque ad Rupelam flumen perducto: unde Bruxella solventes naves per insignem hunc aquaeductum in Rupelam ipsum intrant, atque hinc porro illapsae in Scaldim, usque ad mare decur-

Aquaedu-
ctum & fos-
sa.

runt; summa quidem cum incolarum, & finitimorum commoditate simul & utilitate. Opus sane praclarum, ac magno adeo Principe, vel & Imperatore dignissimum. praeterquam enim quod in id haecenus sint impensa ultra quingenta coronatorum millia; scissus iuxta magnitudinis mons; ac tam alte effossa tanta terrae intercapedo; variis etiam rivis, campos antea perlabantibus, subter alvei fundum deductis, ne videlicet caeno is aut arena possit oppleri: praeter, inquam, haec omnia, videre est inibi opera quinque cataractarum, opportunis maxime locis structorum, quos ab effectu isti *Exclusas* dicunt, & vernacula voce *Slupfen* / maxima sane industria, nec minori judicio aquam idemdem coerceri, & sisti, ne scilicet uno, quidquid ejus est, impetu, in primum illud receptaculum sese effundat, cum Bruxellae, & in aquaeductus hujus initio, aqua sit quadraginta, & amplius pedes, quam in exitu, altior. Praecipuus tanti operis auctor, vel fautor saltem atque impulsor (nam alioqui, gubernante etiam tunc Margareta Austriaca, Imperatoris amita, ab ejus ipsius majoribus adinventum fuerat atque conceptum) Ioannes Locquenginius fuit, eques perhonestus, & Locquenginii, Berchemii, Coquelbergiae, Dominus, idemque civilium in hac urbe causarum Praetor, vel, ut vulgo loquuntur, Ammanus, *Den Amman*. Vicinum huic urbi ad Aquilonem, & quatuor tantum leucis abjunctum Lovanium. Ipsa vero Bruxella solo admodum ampla, & gemino moenium ambitu clara; inter quos, magno satis intervallo discretos, Aulae & vivario ejus ad ortum sedes. Reliquum inter murum utrumque spatium variis procerum aulicorum palatiis, tum privatorum etiam domibus, hortis, pratis, arboretis, imo & agris nonnusquam infessum est. quae omnia urbi amoenitatem, salubritatem & temperatam aeri indolem adferunt. Muri exteriores incepti sunt exstrui anno 1357. Sunt autem Lovaniensibus moenibus angustiores passibus ducentis. Aedium tamen frequentia Lovanium superat Bruxella. Portas numerat septem, familias nobiles septem, septem Scabinos. Creatur a Principe quotannis hic Magistratus, & *Regimen* eligitur e jam dictis septem familiis, earumque ab utroque sexu nepotibus. Nomina familiarum haec sunt: Tferrodolphi, Tferhugii, Sleusii, Cauenbergii, Tfwertii, Rojenbechii, Stenwegii. Huic Senatui adjunguntur Proconsul & sex praeterea viri spectabiles, ex artificum coetu delecti. quod ipsum in reliqua quoque politia servatur, & publici census administratione, cui praesident.